

Georg Detharding

**Programma, Qvo Rector Academiae Rostochiensis, Georg. Detharding ... Ad  
Justa Pariter & Solennia Exeqvialia, Qvæ Seni Venerabili, Viro ... Dn. Joanni  
Casparo Stevero, Statuum Provincialium Mecklenburgicorum Syndico  
dexterrimo, Vidua Liberiqve Mæstissimi, D. 20. Julii Anni MDCCXXIX. parata  
cupiunt, Præmisso Scrutinio: De Senum Præ Juvenum Moriendi Formidine,  
Proceres Et Cives Academicos ... convocat & peramanter invitat**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1729]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1798287218>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Protokolle Privatrecht-Programme,  
meist Forderungen in dazujen bürgerl. Familien betr.

(Zinsvertrag in nobilitierten Familien:


Nettelblatt, Preen, Quistorp, Schoepffer, Schuckmann  
i. d. R.)

82 Stücke

Mk1b Gen - 40  
2/3 II

9/1  
Hain.  
1833.





Handwritten numbers in a column on the right edge of the page, including 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30.

Leichenprogramme, alphabetisch geordnet  
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.


L - Z

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Luger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Neusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelsen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelsen. 1744.
11. Michelsen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Isabe Dorothea, geb. Michelsen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelblatt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Niehenck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelsen, Maria, geb. Panben. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Pohn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Ressor, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schoepffer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie, 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Luger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walthier. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — , Johann Valentin. 1755.
62. — , Theodor Mattheus. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680-1731.
66. — — — 1711-1736.  
Heinrich Christian. 1715-1736.
67. — , Peter. 1733.
68. Jöppel Margareta Catharina; verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Theodor. 1728.  
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.  
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.  
72. Weiß, Gottfried. 1697.  
73. Wetken, Johann Georg. 1716.  
74. Wilde, Joachim. 1737.  
75. Weidner, Johann Joachim. 1732.  
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.  
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.  
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.  
79. Wolfraath, Dietrich Samuel. 1753.  
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.  
81. Zaidler, Johannes. 1727.  
82. Zinck, Johannes. 1732.





60  
PROGRAMMA,  
<sup>QVO</sup>  
RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,  
GEORG. DETHARDING,  
Medicinæ Doctor, Ejusdemque Prof. Ducal,  
Publ. Ordin. totius Acad. Senior,  
AD JUSTA PARITER & SOLENNIA  
EXEQVIALIA,

<sup>QVÆ</sup>  
SENI VENERABILI,  
VIRO  
PRÆNOBILISSIMO & CONSULTISSIMO,  
DN. JOANNI  
CASPARO  
STEVERO,

Statuum Provincialium Mecklenburgicorum  
Syndico dexterrimo,  
VIDUA LIBERIQUE MŒSTISSIMI,  
D. 20. Julii Anni MDCCXXIX. parata cupiunt,  
*Præmisso Scrutinio:*

DE  
SENUM PRÆ JUVENUM MORIENDI  
FORMIDINE,


PROCERES & CIVES ACADEMICOS,

Ea, qua fas est humanitate, convocat  
& peramanter invitat.

---

ROSTOCHII,

Typis IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typographi



**U**ndecim vix effluxere dies, quum ad exequiarum solennia *Viri Juvenis* in florentissima ætatis periodo præmatura nobis visa morte abrepto, VOS, *Cives honoratissimi*, blanda voce convocarem, & occasione funeris istius Studio digna, qua licuit, brevitate temporis exponerem. Hodie flebile idem ac triste a nobis desideratur officium, dum condendi erunt cineres *Viri* quondam nobis amicissimi, Prænobilissimi ac Consultissimi Dni JOANNIS CASPARI STEVERI, Statuum Provincialium Mecklenburgicorum Sindici meritissimi, senio fulgidi, ex quo est, quod jam quarta vice, vix non sub primordiis officii mei Rectoralis tristitia *Vobis* annuntiandi, & de gravibus rebus *Vobiscum* publice colloquendi sese occasio haud sperata offerat. Sed quasi instabilis semper Mors, quendam tamen velit in Programmatibus meis ordinem, curavit, ut *Juvenis* floridi obitum, abitus senio gravis cujusdam exciperet, hæcque tela hucusque interruptim texeretur. An, ut qui *Juvenes & Senes* sumus, nemo non nostrum, fixam animo habeat memoriam, exeundum esse etiam per saltum, miserique senum juvenumque funera, quo nemo non nostrum sit ad abeundum paratissimus? Quo vero momento jam *Vestrum* animum præparem, ut sub exeundo habeat, quæ in sua commoda meditetur? Idem illud quod dixi, variationis genus, quo mors nostrum ordinem hactenus tenuit occupatum, sit argumentum nostrarum cogitationum, & præsertim in hoc versetur, ut scrutemur *Causas formidinis mortis in senibus longe majoris, quam quidem in juvenibus*. Non spero, *Vos* fore arbitrarios, ac si statuam, in florida ætate constitutos, dum ultima ad-

ventat

ventat hora, citra omnem formidinem tumbam intrare, & sese in mortem ac in somnum suaviter componere. Tristis solutio animæ & corporis in prioribus ætatis periodis æque obtinet, quam in ultimis, nec mens ex suavissimo sibi semper viso domicilio, imo sibi a rerum sapientissimo arbitro in suos usus & sui delicias concessio ac demandato, citra ægritudinem discedit; tum quoque præliminaria hujus abitus, quæ sunt morbi, multum acerbi secum ferendo, si liceret, manibus pedibusque arcenda, in omni ætate obveniunt, mortemque ante portas nuntiant. Hic Hannibal tremere, horrere, expavescere cogit quosvis mortales, ut nimis ictum, etsi inevitabilem, vitare se tamen velle, tot documentis testatum faciant. Ita jam olim

*Virgilius:*

*Ergo tam dirum, tam formidabile monstrum,  
Quem non terrebit, nisi cui sit ferrea fibra?*

Viderer quoque injurius in senilem ætatem, si indistinctim huic tribuerem maximum metum mortis, ac vellem, neminem horum, nisi valde invitum se pati de vita extrahi. Dantur quippe, qui cum illustri Bavorum Virgilio JACOBO CATS, Viro Octogenario, tumbas parant, quæ animum, sic satis firmum magis adhuc præsentia sua roborent, ac prævisam mortem reddant minus metu nocivam; ut taceam quantos Heroës senes sub moriendo sacræ Pandectæ referant. Innuo saltem, si quando placuerit, comparisonem quandam instituere, quinam vel Juvenes vel Senes magis invitò se ad mortem componant? & experientiam quotidianam consulere, quæ omnium rerum est magistra, extra omnem dubitationis aleam repositum esse, constabit, longe difficiliorum penes Decrepitos offendi abiturum, ac penes hos, quorum anni nondum medietatem seculi attigerunt. Quod si testimoniis prudentum opus esset, allegari posset tam facundissimus Cicero, asserens: *Neminem tam senem esse, qui se annum non posse vivere putet; quam multarum rerum experientia cognitus Seneca, inquiens: Nemo tam senex, ut improbe unum diem speret: Decrepiti senes paucorum annorum accessionem votis mendicant minores natu se ipsos esse fingunt, mendacio sibi blandiuntur, & tam libenter fallunt, quam si fata una decipiant.* Accedit, quæ de certitudine hujus asserti nos dubitare nullo modo finit, propria horum confessio, qui senio magis magisque approximantes fatentur, sed infimul mirantur, se olim mortem intrepide expectantes, jam illam limis oculis intueri: perire de die in diem moriendi lubidinem &c. Præterea conqueruntur jamdum de Vitæ humanæ termino tam angusto, quem, si penes se stetit, constituissent vel duplo longiorem; cum cordolio legunt, Antediluvianos & Patriarchas ad tantam ætatem pervenisse, ad quam tacite adspirarent, imo hoc suum velle loquerentur, nisi irrisio obstaret. Increpant præ aliis panacearum ac arcanorum remediorum ad vitam prolongandam ostentatores, tanquam vanos, nec tamen non Longævitatæ præsidia, licet ficta, ambabus arripiunt; Differunt ultimam voluntatem chartæ committendam de die in diem, ut hac de re monentes ipsis tædio sint; sed jam eos offendunt, qui se senes compellant, se morti vicinos esse memorant; placent vero, qui mirantur vigorem mentis & corporis, qui Nestoreos apprecantur annos, qui se de die in diem rejuvenescere nunciant. Nisi animus nos-

ster jam magis ad fletum esset componendus, quam ad risum; memorarem, Senem septuaginta annis emensum, valde exultantem, quando Podagra corripiebatur, spe certa fretus, quicquid de Senio obtento esset, se jam fore longævum, quia Podagra esset omnium ore morbus longævum procurans. Possent mille alia documenta afferri, quæ probatum darent, quam terribilis omnibus hominibus mors, sit senibus longe terribilior, quam memoria mortis omnibus tristis, sit senibus longe tristissima: nisi sufficeret ad ea, quæ toto die obveniunt, provocasse, tanquam ad mille testes omni exceptione majores; imo ad ipsos senes, hac formidine mortis, plus quam confitentur, obfesos. Sed quanta certitudo in his, quæ de metu exeundi ex hac vita, senibus plus quam juvenibus familiari, allata sunt, tanta difficultas reperiendi & detegendi causas discriminis illius, quia in puteo Democriti, quod ajunt, huc dum delitefcere videntur. Eruamus tamen quasdam, quibus senes, si arriserint, plures ab experientia, & sub proprio cordis scrutinio addere poterunt.

Nemini Vestrum latet, *Cives Optimi*, quam *Consuetudo* sit condimentum dulce omnium nostrarum actionum & passionum, ex quo hæc facilius longe succedunt, sed & longe difficilius omittuntur. *Consuetudo enim tempore confirmata secundum NICETUM plus oratione & Religione valet.* Admiseritis ergo, & circa vitæ negotium concedendam esse quandam Consuetudinem multis annorum circulis crescentem. Quandoquidem vita non est nisi connubium animæ cum corpore, commercium spiritus finiti cum corpore sibi ab infinito Spiritu in sui mille gaudia destinato; societas quædam mutua ab utraque parte commoda & incommoda secum afferens: ac jam fieri solet, ut socii amici &c, quo longius mutuas sibi operas præstiterint & perceperint, quantos fructus hæc amicitia attulerit, tanto ægrius se divelli patiantur; non mirum, quod formido senes præ juvenibus occupet, quoties tot nuntii, quot novi anni, mox mox instantis solutionis undique advelant. Juvenes adhuc dum spes sat magna alit, licet ex improvise evenire possent, quæ vinculum animæ & corporis rumpant, esse tamen in robore virium, inque annorum paucitate multum præsidii collocatum, ad elidendam mortem: *Die Natur sey frisch, möge was austreten, sie wären noch in der besten Blüte ihrer Jahre, es habe keine Gefahr, fingen erst an zu leben, könnten sie nun zwar sterben, so müßten die Alten sterben, da alle Kräfte dahin; nec ergo metum moriendi in formidinem mortis abire patiuntur, quin sicubi tamen occumbant, ante occumbant quam ad animum moriendi necessitatem admiserint, hinc minus trepident.* Quod præterea circa consuetudinem vivendi attendendum venit, in quantum mortis accessum penes senes reddat formidolosum, est passim rerum abundantia quæ horum vitam olim laboriosam jam reddiderit magis dulcem ac tranquillam. Adest, si non ære, multa tamen cura exstructa commoda domus, negotiis adhuc subeundis valde sufficiens; Adest aut hortus aut hortulus, qui impensas sui ergo factas de anno in annum magis largiter ac ubertim compensat, vel inde amabilis, quod propria manus in sui ornamentum & decus sedula fuerit, ferendo, arbores plantando, vineta præcidendo; Adest varius  
variorum

variorum mobilium; ut audiunt, apparatus, si non semper pretiosissimus, satis aptus tamen, ut hospites vel in domum recepti, vel ad convivia vocati, undique se reficiant, & quod laudibus evehant, inveniant.

Quis non sentit, memoriam, hæc & hujus generis plura sva-  
via sub habitu ex hac vita relinquenda esse, fore tristem, ac formida-  
utri illum actum, à quo hæc calamitas dependeat i. e. mortem haberi à  
senibus tremebundam. Quod Juvenes concernit, non habent passim,  
rerum farrago illos angat, aut sicubi hæredes fuerint divitum senum  
obeuntium, ignorant illam animi voluptatem, quam penes senes re-  
cordatio pristinae indigentia, laboribus indefessis corrigenda, svavif-  
sime affert; nec tentantur illa cupidine, quæ possident, magna sol-  
licitudine conservandi, illisque semper invigilandi, aut, ut rectius  
eloquar, gallinae instar incubandi, quo indies nova germina ferant.  
Exulat ergo hic formido, quæ abhinc mortem possit reddere terri-  
biliorem.

Huic jam momento alterum jungo, non minus sub examine  
causarum attendendum, quando sermo est de morte senibus magis  
quam juvenibus horrida, id quod in *Sollicitudine Conservationis Fami-  
liae* consistit. Fatendum equidem est, non sine animi ægritudine,  
nec ergo sine horrore, Senibus sese sistere jacturam tot rerum huc-  
usque cum studio comparatarum, & necessitati quotidianæ com-  
mode perquam subvenientium, de quibus modo locuti sumus, im-  
primis quod pretium affectionis justum illarundem pretium longe  
superat. Ast, sicubi illum metum comparaverimus cum sollicitu-  
dine senum de adversa fortuna filiorum filiarumve, nepotum &  
neptum si vitâ exceßerint, confitendum est, illam horribilem jam-  
dum Mortem reddere horribilissimam, ut sub quavis ejus viva ima-  
gine tremor omnes artus obsideat. Sane, non aliud quicquam  
magis naturale dixerimus, quam studere propagationi sui generis,  
& procreatorum liberorum fortunas reddere ampliores: ut hoc de-  
siderium sit penes omnes Parentes æquale, sive præstantissimi sint  
mortalium, sive vilioris conditionis, & opibus præstantes, & qui  
non habent opes. Hinc pro decima Musa *Lipso* habitus *Comicus*  
*Plautus*: *Primum dum parentes fabri liberorum sunt, & fundamentum*  
*substruunt liberorum, extollunt, parant sedulo infirmitatem, ut & in usu bo-*  
*ni, & in speciem populo sint.* Sed talem spem de honore stirpis & fa-  
miliae, senes, morte sua omnino pessundari, nunquam non sibi ha-  
bent persuasum, & qui filii, ipsis viventibus, arbores, magna cura  
per multorum annorum intervallum incrementes, trunco firmiores  
redditæ ramos extenderent & protruderent gemmas, se morienti-  
bus exarescere, & præsentissima fructuum expectatione omnes a-  
gnatos defraudaturas fore, tristes prælagiunt. Qui intra cor pater-  
num intensissimi ferventissimique amoris ignis latet, perpetua gau-  
dia liberis ac nepotibus parans, ut scintillas, imo flammam ejus o-  
mnes videant & mirentur; hic imminentis mortis recordatione  
intercipitur & introrsum conversus animi interiora depascitur.  
Modo animum subit, se mortuo delicias suas dulces, suas curas i. e.  
liberos, annis pubertatis nondum superatis, tutelæ aliorum fore  
B  
commit-

committendos; qui sub tutorio nomine tollant facultates relictas multis sudoribus partas, ut nihil ex hæreditate sua, præter famem & sitim ad illos perventurum sit; aut sicubi Majorenes extiterint, ex imbecillitate animi frænum juvenilibus caloribus relaxante, cupidinis illecebris dilapidaturos nummos magna attentione comparatos; modo in mentem venit, quam familia tanto umbone, ac quidem se habent, privata, abhinc obnoxia futura sit insultibus & vexationibus malevolorum, illam si non prosterntium, deprimentium tamen, ut emergere haud possit; modo metuunt, evenire posse, ut liberi, licet probi ac fideliter à se educati tanto Præceptore & monitore destituti, improba malorum societate adeo corrumpantur, ut ex veneno hoc hausto per integram vitam laborent, cui dum altiores subinde radices egerit, opponendum remedium difficulter inveniatur: tendat ergo in antecessorum opprobrium, & proprium contemptum. Sic undique, quo se vertant senes moribundi, non inveniunt, nisi fata posterorum tristitia, cometas quævis infausta domui suæ annuntiantes, præfagia multa formidolosa in sinu foventia. Quam ergo non timerent tot malorum animo toto die obversantium matrem & nutricem i. e. Mortem! Quomodo circa hæc omnia Juvenes? Constituti sunt in hac ætate, quam spes sequitur, non ea, quam mors. Illorum, qui nondum familiam alunt, animus in eo occupatus est, ex quo capiat voluptatem, idque quam studiosissime prosequitur; nihil hic curarum, unde sumptus pro ancillis, pro liberis, pro uxore denique ipsa colligendi? multo minus angitur mens, si forte mors pulset tabernam suam, unde post mortem suam uxor & liberi honeste victum sint accepturi. Qui vero ad maturitatem annorum & studiorum pervenere, ut societatem cum fœmina iniverint, de honoribus ex necessitate matrimonii acquirendis habent, ut cogitent, quandoquidem per resitantium annorum decursum, fortuna largam ministrare poterit messem. Quæ mortem possent animo refricare, transitoria sunt, quo minus percellant; eliduntur quoque, quæ se animo insinuare vellent de calamitate familiæ à vita transacta, quamdiu tempus superest, hanc studiis & divitiis præoccupandi.

Accedamus ad novum quoddam argumentum tantæ formidinis mortis in senibus, quantam in juvenibus vix unquam offendere licet, & fundatum est in *Desiderio consiliis suis Reipublicæ & communi bono porro inserviendi*. Compertissimum quippe, multum commodi & utilitatis ab ætate senili in bonum publicum, & in omnes ordines redundare. Inest præcipue, *Plutarcho teste, capiti cano consilium & prudentia, & sæpe plus efficit verbum prudenter à sene prolatum, qui vel umbræ instar reputatur, quam integrum plaustrum ardoris, & virium juvenilium, cui expertus suffragatur Romanorum disertissimus: Nihil afferunt, inquit, qui in re gerenda versari senectutem negant, similesque sunt, ut si quis gubernatorem in navigando agere nihil dicat, cum alii malos scandant, alii per foros cursitent, alii sentinam exhauriant: ille autem clavum tenens sedeat in puppi quietus, non faciat ea, quæ juvenes; at vera multa majora & meliora facit. Non enim viribus aut velocitatibus, aut celeritatibus, aut celeritate corporum*

res

res magnæ geruntur, sed consilio, autoritate, sententia, quibus non or-  
bari, sed etiam augeri senectus solet. Habent ergo senes pro haud  
minima felicitatis publicæ particula, seram suam senectutem, ex  
qua futura præsentium, præsentia autem præteritorum collatione,  
trutinando recte dirigere negotia commissa possint, utpote accom-  
modando ad præteritum tempus memoriam, ad præsens sensum,  
ad futurum vero providentiam. Jani habendi sunt, quibus haud la-  
tent, quæ olim plus minus feliciter gesta sunt, patent vero, quæ  
futura, quid mirum ergo, rerum magnarum expediendarum nego-  
tium illis committi, expeti illorum consilia in arduis Rempubli-  
cam concernentibus periculis; illorum prudentiam, cui senectus  
pondus maximum addidit, magnetem esse, qui vota juvenum post  
se trahat; verbo: Senes juvenibus esse sapientiores. An conventus  
Prudentum in Republica inde Senatus titulum obtinuerit, quod Se-  
niores judicio & experientia fulgidi in illum aut recipiantur, aut in  
illo ad sententiam & normam senum, consilia dirigantur, in præsens  
inquirere haud vacat; hoc modo allegasse licebit, inter genera  
vindictæ offensi Numinis referendum esse, cum Seniores è populo  
tulerit DEUS, pueros vero, loquente Propheta, iis substituerit.  
Quomodus vero hæc ad formidinem mortis? Dolet *Theologus* audi-  
torem quondam suum, *Demam*, multis curis & præceptis divinis è con-  
tortio malorum gregi Christianorum associatum, huncque iterum mundi  
voluptatibus se immerfurum non temere præfagit; Dolet *Juris consul-  
tus*, quando Clientis sui partes fidelissime tuendo, haud respiciendo  
lucrum, mercedem aut honorarium, solummodo justitiam & æqui-  
tatem, hunc, se absente, Pseudo advocatorum consiliis in certam ine-  
vitabilemque servitutem præcipitari & mirum in modum coangusta-  
ri metuendum habet; Dolet *Medicus*, quando se spreto, qui salutem  
ægri supremam legem æstimando, suarum partium esse judicavit eni-  
ti ad recipiendam sanitatem, incidere ægros videt in Medicastros,  
qui spartam Medicam occupant, ut divites ex mendaciis evadant:  
quidni doleret *Senex*, qui sapientiam verasque opiniones affecutus  
est, quando se abeunte, negotia publica magna fide, assiduitate & fe-  
licitate gesta pervenire veretur in manus Pseudo-Politicorum, quibus  
nulla prudentia, nulla integritas, nullus intellectus, nulla authori-  
tas, nulla fidelitas, nulla denique conscientia. Vel maxime autem  
tunc dolet, quando non ad dies aliquot vel annos paucos, sed om-  
nino & in æternum discedendum sibi esse prævidet. *Consilia* æ-  
quo animo & in salutem civitatis, tum quoque familiæ prudenter  
coepta & in tantum accepta, jam fore nulla non falso prævidet, quæ  
tamen, quantum ad se, voluisset cum salute omnium, quorum in-  
terest, ad finem perducta; *Gloriam*, quam ex felici successu nego-  
tiorum in solatium patriæ & suorum præsidium susceptorum sperare  
merito poterat, se mortuo præripi ab aliis, aut invidiæ telis con-  
fodi, meticulosus auguratur; *Premium*, cujus adipiscendi ergo, se-  
met ipsum medias in undas projecit, & perpetuas sæpe animo-  
rum alienationes, sat exiguum fore, si vita excesserit, graviter a-  
nimo suo præsentat; quid non horreat authorem omnium horum  
malorum, illumve velit quam longissime & diutissime absentem!



De tantis curis futura respicientibus nihil ad se pertinere censet Juvenis. Quæ viæ facilitas sub actionibus expediendis datur, fluminis iastar impetu vehementiori prorumpit. Consilia ob copiam & calorem sanguinis sunt velocia, quod si primus impetus fefellerit, languida. Summo quidem in pretio & honore apud illum est prudentia, ast omnem animæ cogitationem in futura dirigere, & quæ sibi, quæ uxori & liberis, quæ reculis, quæ Reipublicæ se moriente sint eventura, prospicere, hinc malum ingruens præcavere velle, tædio atque oneri, ut providentiæ ministræ, quam Fortunam vocat, hæc omnia relinquenda esse censeat.

Ne vero, *Cives Optimi!* diffimulemus in detegendis formidinis causis, quæ senes præ juvenibus mortis ergo angit & excruciat, quod summo jure huc spectare videtur, alleganda venit *indoles animi formidula* penes ætate profectos. Possit sub *Temperamento Melancholico* venire, nisi essent, qui ex depravata loquendi more, Melancholicum & fatuum habeant pro Synonimis. Medicas consulamus Scholas, hæc nos informare poterunt, quia ad temperamentorum qualitates se passim habet morum conformatio, speciatim non posse aliter obtinere, quam ubi melancholica corporis dispositio, ibi in rebus moralibus hæc habenda sit fundamentum circumspectionis, pensitationis, assiduitatis, vigilantia, uno verbo: *Diffidentia*. Ast! quam non omnes consentiunt, senibus esse indolem talem tribuendam, quia sub habitu corporis compacto ac strictiori, sub crassitie fluidorum internorum, non possit circulus sanguinis esse, nisi lentus, tardus, ac per singula momenta stagnationi obnoxius; hinc pressionem requiri assiduam, nunquam tamen non cum periculo infausti progressus, & interitu corporis stipatam. Diffidunt ergo senes per omnia, operas suas sollicite exequuntur, pleni scrupulorum, an successus speratus evenerit? Recte sensit, qui de senibus refert, hos neminem præsumere bonum, donec contrarium probetur: tam undique penes illos se metus circa præsentia insinuat, quidni circa futura animo tædiosa quævis ac infausta offerret. Nulli jam miramur, quare odiosum sit senibus, mortem amplexari, & quare horreant eandem, quia itineris comes aut contubernalis insidiator per singula momenta interpellare, dumque spem & vota disponunt in uxorem, in opus, in honores &c. supervenire & interrumpere valet.

Quæ cum ita sint, quid porro mirabimur, *Cives æstumatissimi*, in examine formidinis penes senes in ultimo tempore reperiundæ. Meditemur potius ne, si ætas hoc voluerit, nos nimis, quam Studiosos vitæ esse, sint qui nobis objiciant. Qui Juvenes nos inter, in animum revocent morem antiquorum, qui recensente *Plutarcho*, lætum nuntium lanceorum cuspidibus lauro tectis significarunt, ablandiatur licet vigor corporis, fortunæque fervor, latere cuspidem mortalitatis, ut cruentet, ut vulneret, ut perimat. Qui vero senes, eo sint animo, ut horribilem diem aliis, sibi faustum putent, nihilque in malis ducant, quod ab Arbitro rerum ab ævo fuit constitutum. De senibus Christianis eo magis hæc erunt non modo speranda, sed & exspectanda, nisi *Ethnicum* quendam, *Epictetum* volo, se in ruborem dare, concesserint; *Si versantem*, inquit, *talibus in actionibus mors*  
(medi-

(meditatio mortis) *me arripiat*; *satis mihi erit*; *si porrectis ad DEUM* manibus sic loqui valeam: *Quas à Te accepi facultates*, quibus percipere possem tuam administrationem, eique me obsequentem exhibere, ejus sane studii cultum non neglexi. *Quantum in me fuit*, ignominia te non affeci. *En aspice ut fuerim usus sensibus meis*, ut anticipatis notionibus. Num aduersus Te fui aliquando impatiens, num egre tuli quidquam, quod mihi accidisset, aut secus, ut fieret optavi? num quos respectus officiorum sum transgressus ad quos tu me genuisti? Pro his, quæ dedisti mihi, gratias habeo, satis mihi est, quoad his usus sum: restituo rursus hæc Tibi, quocumque visum fuerit loco reponens. Tua enim fuerunt omnia ista, quum abs Te dante acceperim.

Talem animam despecta corporis & fortunæ deserentem, ipsamque emoribundi corporis fatum scandentem, possedisse, cujus cineres jam recondimus, senem grandævum Virum Prænobilissimum & Consultissimum DN. JOANNEM CASPARUM STEVERUM, ex mox mox allegando vitæ curriculo intelligere poteritis.

Auspiciatus nempe est humanam hujus vitæ felicitatem seculo superiori, Anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, die trigesimo primo Mensis Augusti, Genitorem exosculatus virum Nobilissimum & Prudentissimum JOANNEM JOACHIMUM STEVERUM Senatorem Rostochiensem dignissimum, Genitricem vero ANNAM NEUENHAGENS, Matronam omnibus virtutibus sexum muliebrem commendantibus maxime ornatam. Paternæ profapiæ Avum laudavit Virum integerrimum JOANNEM STEVERUM Civem & Cerevisiarium Rostochiensem dexterrimum, ut & Ærarii publici præfectum dignissimum; Aviam TILSE WEDIGEN, Fœminam lectissimam virtuosissimamque. Proavum veneratus Virum honoratissimum JOANNEM STEVERUM, Civem item & Zythopæum Rostochiensem inter primarios merito locandum. Proaviam Fœminam honestissimam ANNAM KRUMWIEDEN, Alter Proavus fuit Vir nobilissimus & Prudentissimus JOACHIMUS WEDIGE Senator Rostochiensis meritissimus Proavia altera WENDULA NETTELBLADTS. Abavus Beato Nostro contigit TILEMANNUS STEVERUS, Senator Stathagensis in Westphalia honoratissimus, Abavia CATHARINA GROTHEN Matrona æstumatissima; Alter Abavus JOANNES KRUMWEDE Illustrissimi Comitiss Schaumburgensis Secretarius fidelissimus; altera Abavia ANNA BRINCKMANN, Fœmina admodum conspicua. Abavum vero alterum ex altero Proavo nactus JOACHIMUM WEDIGEN, Civem hujus Urbis inclutum, Abaviam ELISABETHAM BOLTEN, Fœminam splendissimam. Ex altera Proavia, Abavum sortitus HERMANNUS NETTELBLADT Virum in Ordine Senatorio haud ultimum, Abaviam TILSAM WITTINGS Matronam virtuosissimam. Ad Maternam stirpem quod attinet, Avum ex Eadem honoravit JOANNEM NEUENHAGEN, Præfecturarum Gustroviensis & Svanensis Inspectorem dignissimum; Aviam ANNAM HAVEMANNIAM, Fœminam singularibus virtutibus coruscantem. Proavum agnovit JOANNEM NEUENHAGEN, Ducalis Prædii Bliescaviensis Administratorem perindustrium; Proaviam ANNAM LEPPINS, DN. BARTHOLDI LEPPINS Senatoris quondam Rostochiensis Filiam dilectissimam. Alterum Proavum sortitus est JOANNEM HAVEMANNUM, Senatorem Cröpelinensem & Templi istius loci Ædilem dexterrimum, Proaviam alteram MARGARETHAM KÖSTERS,

C

Fœmi-

Foeminam optimam. *Abavus* fuit JOANNES HAVEMANN; Consul Civitatis Cröpelinensis meritissimus; *Abavia*, Matrona spectatissima ANNA KRÜGERS. *Alterum Abavum* habuit JACOBUM KÖSTERUM, inter primarios Civium Rostochiensium numeratum; *Abaviam alteram*, ANNAM BRÜGGEN, Foeminam lectissimam. Quod si ad morem nonnullis solennem excurrere & stirpes affines recensere mens foret, allegandæ essent Familiæ CLANDRIANA, ADENSTÆTIANA, THILIANA, SIBRANDIANA, GERDESIANA &c. Sed quod omnes noverint celebratam STEVERIAM progeniem ab illo proposito studio desistimus. His Parentibus exordium vitæ suæ debuit *Beatus Noster*, sed vitalem Spiritualis vitæ vigorem obtinere haud potuit, nisi sancta interveniret Regeneratio. Hujus requisiti necessarii probe memores optimi Parentes Sacratissimo Baptismi lavacro lotum & regeneratum Servatori nostro ejusque Ecclesiæ inferi curarunt. Abhinc Filium suum ob primogenituram amatissimum sollicitè non tantum educarunt, eique cum lacte materno verum DEI timorem, qui est principium sapientiæ, instillarunt, verum & peritissimis Præceptoribus honestis & modestis moribus formandum, ut & literis imbuendum tradiderunt, sub quorum fida manu ductione annis paulatim accrescentibus, tam in Lingua Latina & Græca quam in studiis, ut vocant humanioribus, elegantissimos fecit progressus. Quinimo laudatissimi Præceptores Academicis exercitiis aptissimum sensim *Eundem* reddidissent, nisi præmaturus optimi Patris obitus, quando *Beatus Noster* sedecim nondum expleverat annos, hosce circulos præter spem & votum omnium agnatorum turbasset. Mater tamen superstes Patris vices parili sollicitudine supplens *Natum* suum ad Scholam Wismariensem, doctissimis semper instructam Præceptoribus, amandavit. Adventantem non tantum benevolo hospitio excepit Vir Prænobilissimus & Amplissimus DN. SCHEFFELIUS, fasces Consulares insigni cum laude tenens, verum & Rector atque Con-Rector inclutæ istius Scholæ DN. LEHMANNUS & DN. DIKIUS, Viri in limandis poliendisque juvenum animis exercitatissimi, eximium discendi ardorem, & singularem ingenii promptitudinem in *Beato Nostro* animadvertentes, toti in eo fuere, ut ista scientia animum discendi imbuerent qua instructus felicissimo cum successu ad studia in Academicis tradi solita pedem promovere posset. Sic bene præparatus domumque reversus, Musas Rostochienses primo salutavit Anno MDCLXXIII., & nomen suum Almæ hujus Matriculæ inferendum curavit, quo privilegiis civium nostrorum frui, & Collegiis Dnn. Professorum per orbem celebratissimorum interesse liceret. Hic se totum tradidit studio Juridico & ex ore REDEKERI, RADOVII aliorumque Professorum, talia hausit dogmata, ex quibus per totum vitæ suæ decursum non potuit non exoptatissimos subinde carere fructus. Absolutis autem modo laudatorum Professorum Collegiis, suavis Agnati sui D. WEDAUI, Pharmacopœi Norimbergensis dexterrimi, Norimbergam & imprimis vicinam Academiam Altorffinam petiit, incrementa eruditionis ac cognitionis Juris Cultori proficuæ & in hoc celeberrimo Scientiarum Emporio quærens, Nec spe sua frustratus est: tales quippe ibidem invenit Antecessores, HAMMERUM, LINCKIUM & WAGENSEILIUM, quorum vestigiis insistendo, recto tramite ad intimum Themidis sacrarium lætus properare potuit; utque & aliis constet, se non proletarie studia sua


sua tractasse, speciminis loco Disputationem de *Consensu Conjugiali* Præfide laudato HAMMERO, non sine applausu totius Auditorii ventilavit. Hoc labore exantlato, apes imitans, quæ varios pervagantur campos, nec in uno loco subsistunt, quo ex quibuslibet floribus quædam in usum futurum colligant, alia adhuc loca celebria in-  
 vivenda esse, secum constituit; repetiit proinde Norimbergam, atque in hac formosissima & omnis generis artificibus mechanices studium præ ceteris callentibus referta Germaniæ civitate, attentis oculis undique observavit, quæ usibus futuris inservire posse arbitratus est. Postmodum Danubium trajiciens, visa sub itinere Ratisbona, Viennam appulit, ob sedem Augustissimi nostri Imperatoris reliquis Germaniæ civitatibus palmam facile præripientem; nec diu hic delituit, quin grata comitas, eruditioni juncta, STEVERO nostro omnium benevolentiam facile comparaverit, quæ & Virum Excellentissimum & Consultissimum DN. JOANNEM SCHRIMPFIUM, Comitem Palatinum Cæsareum Potentissimi Electoris Saxonæ Consiliarium & Residentis munere fungentem commovit, ut *Secretariatus* spartam Eidem ultro demandaverit. Huic officio humeris suis imposito per triennium & quod excurrit tanta cum promptitudine satisfecit, ut reditum in Patriam meditantem supra laudatus SCHRIMPFIUS ægre dimiserit. Dum enim revocaverant STEVERUM, tam Agnatos Amicosque visendi lubido, quam imprimis favor Beati Consulis Rostochiensis, DN. LIEBHERRI, Vir de Civitate hacce optime meritis, utpote qui Patriam justius sibi *Beatum Nostrum* vindicare reputans. Eundem *Tutelarum*, moxque *Judicii inferioris*, denique *Camerae* Civitatis hujus *Secretarium* constituit. Haud minorem fiduciam in dexteritate beate *Defuncti* re-  
 posuerunt Status Provinciales Meclenburgici, quando munus *Secretarii* quidem sub principio *Ipsi* conferendo, deinde tamen singularem in hoc munere subeundo alacritatem integritati maritatum observantes Vice-Syndicum, denique Syndicum *Eundem* crearunt. Omnibus modo recensitis gradatim administratis officiis, ea sollicitudine, fidelitate & diligentia præfuit, ut superiorum suorum spem in *Se* collocatam nec in minimis fefellerit. Sed accedamus ad statum Beati STEVERI domesticum. Postquam enim munus Secretariatus tam urbici quam Provincialis ipsi in studiorum præmium cesserat, ambire, re probe deliberata, non dubitavit, Virginem lectissimam, eximiisque virtutibus præditam ANNAM MAGDALENAM ab HILLEN, D. HERMANNI ab HILLEN Cerevisiarii & Mercatoris Rostochiensis solertissimi, & ANNÆ HAGEMESTERIE Fœminæ in ornamentum sexus muliebris natæ, filiam unicam, atque JOANNIS ab HILLEN J. U. Doct. & Consiliarii Saxo-Lauenburgici fulgidissimi ut & LUCÆ HAGEMESTERI Consulis quondam Gustroviensis meritissimi neptem. Neque *Ei* defuit thesaurus Conjugum optimus, proles divinitus concessa; beatus enim fuit septem liberis, binis filiis, & quinque filiabus, quorum nomina secundum nativitatis ordinem (1) ANNA DOROTHEA (2) SOPHIA MAGDALENA (3) REGINA ELISABETHA (4) JUSTINA MARGARETHA (5) JOANNES FRIDERICUS (6) JOACHIMUS CHRISTOPHORUS (7) CATHARINA LOVISA. Binos tamen filios suos optimæ spei juvenes in florentissima ætatis suæ periodo, alterum Francofurti ad Oderam, alterum hic Rostochii, præmatura morte sibi non fini summo cordolio ereptos vidit; quantus enim ex utroque illo funere luctus fuerit paternus, ii sentient multo exploratius, qui de charitate erga suos liberos ju-  
 C 2 dicium

dicium ferre didicerunt. Solatium tamen fuit iugens, quod superstites filias, excepta una, ante obitum suum elocare integrum fuerit. Ex his enim prima ANNA DOROTHEA nupsit Viro Amplissimo & Præ-Nobilissimo DN. JOANNI CHRISTOPHORO ATTELMEYERO, J. U. Doctorando dignissimo, & Cameræ hujus Urbis Secretario dexterrimo, ex quo Matrimonio quinque Nepotes exosculatus est: JOANNEM CAROLUM, J. U. Studiosum diligentissimum, CHRISTIANUM FRIDERICUM, ANTONIUM ERNESTUM LUDOVICUM, & JOANNEM THEODORUM Gottlieb. Natu altera SOPHIA MAGDALENA, cœlibem adhuc vitam agit, atque in aula Ducis Holfatiæ hucusque degit. Tertia ordine REGINA ELISABETHA obtinuit Virum Præcellentissimum & præclarissimum JOANNEM DECKERUM J. U. Candidatum & statuum Provincialium Mecklenburgicorum Secretarium meritissimum, nec hoc conjugium sterile observavit: binos etenim ex eadem Nepotes & tres Neptes numeravit, (1) ANNAM MAGDALENAM (2) CHRISTIANAM CATHARINAM (3) JOANNEM (4) JCACHIMUM PETRUM (5) CATHARINAM SOPHIAM aut binos Nepotes perinde ac filios suos ipsum morte præeuntes expertus est.

Quartam JUSTINAM MARGARETHAM in Matrimonium dedit Viro admodum conspicuo HENRICO SCHWABE, Civili & Mercatori Rostochiensis solertissimo, quod fecundum redditum conjugium quatuor Nepotibus & tribus Neptibus Avum beavit, quorum nomina (1) ANNA ILSABE (2) JOANNA JUSTINA DOROTHEA (3) ANNA REGINA (4) JOANNES CHRISTIANUS HENRICUS (5) JOANNES CASPAR (6) THEODORUS FRIDERICUS (7) LUDOLPHUS WILHELMUS sed iisdem ex his binos Nepotes JOANNEM CASPARUM & THEODORUM FRIDERICUM, totidemque Neptes ANNAM ILSABEN & ANNAM REGINAM, coelitis adscriptos vidit. Natu quintam CATHARINAM LOVISAM Thori sociam esse voluit Viri spectatissimi FRANCISCI GEORGII BARCKEY, Mercatori, Gustavoviensis dexterrimi, ex quo unam saltem Neptem CHRISTINAM MARIAM suscepit. Nondum adhuc singulas filias suas lætus elocaverat B. N. quando Altissimus hujus Universi Moderator qui pro suo imperscrutabili beneplacito gaudia tristibus rebus miscere assolet Costa sua dilectissima svavissimaque orbatum *Eundem* voluit, hocque ipso in summos luctus Viduum tunc mœstissimum conjecit. Ast plagam inflictam iterum deinceps consolidavit Providentia Divina, concedendo novam conjugem, Virginem virtuosissimam nobilissimamque ANNAM CHRISTIANAM NIEMANNIAM Viri Prudentissimi JOANNIS NIEMANNI Protonotarii & Senatoris quondam hujus Urbis famigeratissimi, & ANNÆ SUTERS filiam, Viduam nunc acerbissimo mœrore correptam, ex qua Filium quidem sed sub partu extinctum excepit.


Sub omnibus modo recensitis totius vitæ B. N. vicissitudinibus valetudine fatis integra, si ultimos annos exceperis, usus est. Tunc quidem Asthmate sicco correptus varias sensit molestias, non modo gressum præpedientes, sed somnum arcendo vires prostermentes. Quæ dicitur triga nuntiorum mortis, *Casus, Infirmas ac Senectus*, ita ut casus nuntiet mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus vero præsentem, hæc in *Grandævo* Nostro jam Beatø, pariter se stitit, ut undique vigorem animi & corporis remittere dies diem doceret: imprimis quod memoria, qua imprimis valuerat, ut vivum Archivum diceretur, languescere ceperat, reliquæque animæ facultates minus expeditæ, ac quidem olim in functionibus suis erant, de ultimis ejus annis pronuntiari debet, quod fuerint ingrati & inappetibiles, difficultatum & asperitatum pleni, ut mortem molestissimis afflictionibus finem imposuisse, fuisseque malorum perpessorum felicem Medicum fatendum sit; quod obtigit die 5. Mensis Julii circa horam duodecimam noctis. Quod adhuc restat *Cives optimi*, ultimum est amoris & honoris officium, quo corpus Venerandi nostri STEVERI exanimatum honestissimis exequiis ad tumulum suum deducamus, adeoque eo, quo par est, comitatu frequentissimo *Viduam Liberosque* mœstissimos consolari tentemus. Ad quod officii mei ratione, omnes & singulos serio & peramanter invito.

P. P. SUB SIGILLO RECTORATUS d. 20. Julii Anno MDCCXXIX.






Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



LBMV Schwerin 33  
000 184 241







geruntur, sed consilio; autoritate, sententia, quibus non or-  
 etiam augeri senectus solet. Habent ergo senes pro haud  
 felicitatis publicæ particula, seram suam senectutem, ex  
 ra præsentium, præsentia autem præteritorum collatione,  
 lo recte dirigere negotia commissa possint, utpote accom-  
 ad præteritum tempus memoriam, ad præsens sensum,  
 um vero providentiam. Jani habendi sunt, quibus haud la-  
 tæ olim plus minus feliciter gesta sunt, patent verò, quæ  
 quid mirum ergo, rerum magnarum expediendarum nego-  
 committi, expeti illorum consilia in arduis Rempubli-  
 cernentibus periculis; illorum prudentiam, cui senectus  
 maximum addidit, magnetem esse, qui vota juvenum post  
 verbo: Senes juvenibus esse sapientiores. An conventus  
 um in Republica inde Senatus titulum obtinuerit, quod Se-  
 dicio & experientia fulgidi in illum aut recipiantur, aut in  
 tentiam & normam senum, consilia dirigantur, in præsens  
 haud vacat; hoc modo allegasse licebit, inter genera  
 offensi Numinis referendum esse, cum Seniores è populo  
 eros vero, loquente Propheta, iis substituerit.  
 c ad formidinem mortis? Dolet *Theologus* audi-  
 m, *Demam*, multis curis & præceptis divinis è con-  
 Christianorum associatum, huncque iterum mundi  
 ersurum non temere præfagit; Dolet *Juris consul-*  
 fui partes fidelissime tuendo, haud respiciendo  
 aut honorarium, solummodo justitiam & æqui-  
 nte, Pseudo advocatorum consiliis in certam ine-  
 tem præcipitari & mirum in modum coangusta-  
 ; Dolet *Medicus*, quando se spreto, qui salutem  
 m æstimando, suarum partium esse judicavit eni-  
 mitatem, incidere ægros videt in Medicastro,  
 m occupant, ut divites ex mendaciis evadant:  
 , qui sapientiam verasque opiniones affecutus  
 te, negotia publica magna fide, assiduitate & fe-  
 re veretur in manus Pseudo-Politicorum, quibus  
 illa integritas, nullus intellectus, nulla authori-  
 nulla denique conscientia. Vel maxime autem  
 non ad dies aliquot vel annos paucos, sed om-  
 m discedendum sibi esse prævidet. *Consilia æ-*  
 utem civitatis, tum quoque familiæ prudenter  
 accepta, jam fore nulla non falso prævidet, quæ  
 l se, voluisset cum salute omnium, quorum in-  
 ducta; *Gloriam*, quam ex felici successu nego-  
 patriæ & suorum præsidium susceptorum sperare  
 mortuo præripi ab aliis, aut invidiæ telis con-  
 guratur; *Premium*, cujus adipiscendi ergo, se-  
 in undas projecit, & perpetuas sæpe animo-  
 at exiguum fore, si vita excefferit, graviter a-  
 ; quid non horreat authorem omnium horum  
 elit quam longissime & diutissime absentem!

B 3

De

